



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 49. Clemens VIII. Ferraria Romam reversus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI. mentis VIII. adventum præstolari co-
A.C. 1598. gebantur.

§. XLIX.

*Clemens VIII. Ferraria Romam
reversus.*

*Spond. An-
 nāl. ad ann.
 1598. n. 16.
 Ciac. tom. 4.
 vit. Pontif.*

Postquam Clemens VIII. summus Pon-
 tifex cunctis ad prosperum regnum
 Ferrariæ dispositis, urbem multis gratiis
 ac privilegiis ornaverat, totiusque Fer-
 rariensis ditionis populum in Ecclesiæ
 Cathedrali a censuris omnibus iterum
 iterumque die vigesima sexta Novem-
 bris absolverat, cum toto aulico comi-
 tatu in viam sese Romam versus dedisset,
 ac die vigesima septima ejusdem mensis
 lectica vectus Bononiam pervenit, festiva
 omnium acclamatione exceptus, inde vero
 Lauretum contendens in lætissimis
 cris his ædibus solemniter Deo Omnipoten-
 ti sacrificium incruentum obtulit, simulque
 Aldobrandinum, & Cælium Cardinales
 sacro Presbyteratus Ordine initiabat, sacra-
 mentum vero domum non modo splendidissimis
 domis, sed quoque plenam omnium noxarum
 condonationem in præcedentium favorem
 augebat, ac demum continuato itinere die
 vigesima Decembris Romam ingressus est,
 incredibile Romanorum lætitia, qui etiam
 inter alia trophæa in sinceri animi signum
 hanc eidem inscriptionem, quæ præcipuas
 res ab eo gestas

Sæcul. XVI.
A.C. 1598.

gestas complectebatur, apposuerunt: Clementi VIII. Pontifici Optimo Maximo ob rem christianam optime gestam. Ægyptum, Æthiopiam, Russiam ad Religionem receptas, Turcas expulsos, Pannoniam propagatam, Strigoniam devictam, Ferrariam adeptam, quodque Gallix, & Polonix Reges, Hispanix Reginam, omnibus pacem dederit. S. P. Q. R.

§. L.

Horrenda Romanæ urbis inundatis.

Attamen Pontifex vix tertium Romæ diem agebat, cum vigesimo tertio Decembris fluvius Tyberis, qui jamjam assiduis aliquot dierum pluviis aliquantum intumuerat, ob ventorum meridionalium violentiam, qua obstructo fluminis ostio undæ in mare sese exonerare præpediebantur, tam subita inundatione restagnare cœperat, ut ipso Nativitatis Dominicæ festo aucta novis undarum accessibus eluvione tota urbs, omnesque circumquaque campi, arbores, collesque natate viderentur, nam qua parte paulo ante ampla planities lateprata, virentesque campos explicaverat, & Principum rhedæ, ac colonorum currus equis trahebantur, ibi nunc exarsuante Tyberis eluvione undequaque reu-

Spond. &
Ciac. l.c. 259.
Thu. p. 840.